



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Synopsis Magnalium Divi Josephi

Ignatius <a Sancto Francisco>

Leodii, 1684

Prolud. 3. Fons omnium laudum & encomiorum D. Iosephi sacrum
Evangelium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38500

6 Synopsis Magnalium D. Josephi,

quot annis repeti posse permitimus & indulgemus : Atque semel quot annis repeti posse permitimus & indulgemus? Atque ut semel quotannis Orationem quadraginta Horarum solemniter instituere, ac celebrare (tempore magis commodo à dictâ Confraternitate eligendo) possint, concedimus. Præterea dictam Confraternitatem specialibus favoribus & privilegiis prosequi volentes, eam, omnesque & singulos ejus Confratres ac Conforores tam hætenus descriptos, quàm in posterum describendos, in specialem protectionem nostram suscipimus, & in Domino amplectimur: ac intentionis nostræ esse ac posthac semper fore declaramus, quod nulla alia similis Confraternitas sub Invocatione S. Josephi impostèrùm in Civitate nostrâ Leodiensî erigatur, vel ullo modo instituatur, nisi de speciali nostrâ & expressâ facultate, sublatâ ad id quacumque aliter cuilibet cujuscumque dignitatis & officii concessâ, delegatâ seu demandatâ potestate. Demùm ad augendam Fidelium religionem omnibus Christi-fidelibus verè pœnitentibus, ac Sacrà Communionè refectis, qui Ecclesiam seu Capellam, vel Altare dictæ Confraternitatis in ejusdem Festis, & per eorum octavas, & generaliter quacumque Feriâ quartâ cujuslibet hebdomadæ per annum visitaverint, & ibidem pro ordinariis Ecclesiæ necessitatibus pias ad Deum preces effuderint, singulis vicibus Quadraginta dierum Indulgentias in formâ Ecclesiæ consuetâ impertimur & in Domino concedimus per præsentem. Quas in fidem manu nostrâ signatas sigillo nostro jussimus communiri. Datum in Civitate nostrâ Colonia 31. Julii 1676.

VII.

Hæc ergò devotione ita in dies, & quidem apud nos, nova semper incrementa capiente, sensi me animari, ut hæc Scriptio meâ parùm olei in istiusmodi ignem injicerem, ut magis accendatur, magisque semper ardeat: ita faxit Deus.

VIII.

Secundus finis de hoc Sanctissimo Patriarchâ scribendi est, ut eundem ignem in illorum cordibus, qui necdum ei ita affecti sunt (sitamen sint adhuc aliqui tales) excitent, ut scilicet perspicientes ex dicendis in decursu hujus

Operis hujus Sanctissimi Viri præcellens dignitatem, Titulos summos, Gratiâ illis commensuratam, Virtutes plusquam Angelicas, Sanctitatem supereminentem, Gloriam singularissimam, Autoritatem quâ apud Deum pollet incomparabilem, Amorem & Affectum in suos Clientes & Devotos tenerrimum & pronissimum, Intercessionum ejus apud Deum energiam potentissimam & efficacissimam, Devotionem omnium gentium erga ipsum, illorum maximè quos sequi non pigeat, idest à sanctitate & doctrinâ insignium incensissimam, extimulentur, ut illius cultui cum aliis se devoteant & addicant, simul cum illis ejus Patrocinium, Tutelam & Protectionem ambiant, & exquirant, certissimèque & ipsi idem quod omnes alii experiantur, ipsius Adjutorium & Intercessionem in omni necessitate quæcumque illa sit, nulli cujusvis Sancti (si solam ejus Sponsam exceperis) cedere, immò in multis excedere: ut sicut JESUS, MARIA, JOSEPH fuerunt in terris, suntque in cælis individui, ita sint in devotione, corde & amoribus nostris.

PROLUDIUM III.

Fons omnium Laudum & Encomiorum D. Josephi, Sacrum Evangelium.



AGNORUM laudes Virorum vel dicendo, vel scribendo ad placitum audientium vel legentium efferre non parvas res est; quare Oratores Panegyrim semper ut nauæ fyrtes, vel scopulos timuerunt, utpote ad quam etiam insignes Viri, qui in omni alio dicendi genere famam sibi aliquam comparasse potuerant sapissimè naufragium fecerint.

Hujus ratio difficultatis est invidia, quæ in hunc mundum unâ cum miseria ingressa nos excecet: quo fit ut quemadmodum oculos aliorum meritis clausos, ita aures eorum laudibus habeamus obstructas, & eum simus infirmi, miseri, gloriæ tamen non minus quàm pecuniæ avidi & avari, in aliis dolemus

I.

II.

dolemus inveniri, quod in nobis sci-
 mus desiderari, arbitraturque illorum
 laudibus nostræ gloriæ umbram fieri,
 vel etiam detrahi.

III. Sed hæc ratio non habet locum
 quando agitur de Sanctis cum Deo in
 Cælo regnantibus: cum enim illorum
 apud nos magna sit opinio & æstimatio;
 Pietas & Religio approbat pro his elo-
 quentiam, ratione suadente Heroes il-
 los qui cum Deo regnant in cælis esse
 omnibus humanis laudibus majores.

IV. Non ideo tamen horum cæli Pro-
 cerum minus quam illorum laus diffi-
 cilis: immo ex aliis capitibus longè dif-
 ficilior: nam cum nemo nõ sciat Sanctos
 superasse vitia, domuisse passiones, vo-
 luprates fugisse, vicisse dæmones, &
 propterea ex hoc mundo in cælum
 translatos cum Deo regnare; laudes si
 quas pro illis expectant, non expectant
 nisi extraordinarias: Cumque in illis
 omne quod humanum est & fragile
 per divinam eorum Apotheosim sit ab-
 sumptum, arbitrantur merito illos à
 nobis debere tractari potius ut Deos,
 quam ut homines, cum etiam Divi vo-
 carentur, quasi parvi Dii.

V. Accedit quod pars maxima Sancto-
 rum sæculis vixerint à nostro distitis, ut
 proinde memoria per illos gestorum in-
 terierit: quod ipsi sollicitudine perma-
 ximà oculos fugerint humanos, solique
 Deo, qui videt in abscondito placere
 studuerint: quod gratia, quæ eorum facit
 merita, in cordibus eorum per Spiritum
 Sanctum, qui datus est eis diffusa, ibi
 etiam ut plurimum operata sit, nec
 semper foras eruperit: *Omnis enim gloria
 filia Regis ab intus.* Psalm. 44. v. 15. &
 Sancti ut Deus parte sui meliore latent.
 Sunt denique Stellæ mysticæ de quibus
 Propheta Baruch c. 3. v. 35. *Stellæ dede-
 runt lumen in custodiis suis, & latata sunt,
 vocata sunt, & dixerunt adsumus, & hi-
 xerunt ei cum iucunditate qui fecit illas.*

VI. Tandem si de æternâ illâ gloriâ quâ
 perfruuntur in cælis dicendum, cum
 nec oculus unquam viderit, nec auris au-
 dierit, nec in cor hominis ascenderit que
 preparavit Deus iis qui diligunt Domi-
 num. 1. Corinth. c. 2. Quis illorum glo-
 riam ut par est, quis gradus & diffe-
 rentias illius explicare poterit? Ergo
 laus Sanctorum difficilis: Atqui Opus

quod hic aggredior, de hoc genere est.
 Est, inquam, Panegyris unius è Sanctis,
 Divi scilicet Josephi, in quo omnia illa
 simul concurrunt à quibus diximus Pa-
 negyrim Sanctorum evadere difficilè.
 Nam & vixit sæculo multis à nostro dis-
 fito, & pauca de illo tunc scripta ad ma-
 nus nostras pervenerunt: De ni, uestivè
 in gratiâ, sive in gloriâ consideretur,
 semper parte sui meliore latuit, abscondi
 semper ambivit; res ergo difficilis &
 ardua.

Sed hic totu labor ab aliis strenuè
 desudatus est. His quippè temporibus
 postremis scripserunt de miris & sum-
 mis Magnalibus ejus innumeri à do-
 ctrinâ, à dignitate, à sanctitate cõspicuis
 scripserunt sacri Interpretes, scripserunt
 Theologi, scripserunt Ecclesiastes, scrip-
 serunt ante eos SS. Patres, quàm ergo
 certa laus quæ à tot tantorumque profi-
 ciscitur ore virorum? Si verè dixit Ro-
 manæ Princeps Eloquentiæ Marcus
 Tullius Cicero, ut verè dixisse nullus
 inficiabit, quod eaprofessò præclara laus
 sit, quæ ab ipsis profisciscitur, qui semper
 ipsi cum laude vixerunt. Certè tot ac
 tantis Principibus placuisse viris non infi-
 ma laus est Divi Josephi.

Verùm si tanta ejus laus quod tot
 tantorumque virorum ore & calamo
 celebratus sit: nonne ea prima erit ac
 palmaris quod tantus inventus sit, ut à
 Deo ipso, in quem nec deceptio, nec
 fraus, nec adulario, nec ulla animi per-
 turbatio, seu passio cadere potest; lau-
 dari, ut ipsius Magnalia ipso Dei digito
 describi & meruerint & debuerint?

Hic est fons verus & primarius om-
 nium laudum D. Josephi: Nam licet ex
 mox assertis illius Encomiastibus qui
 de illo scripserunt alii ex aliis, hi & illi
 ex Patribus Sanctis quæcumque ferè de
 illo tam magnificè protulerunt, omnia
 decerpserint; Patres tamen Sancti ex
 Evangelio, tanquam ex fonte primario
 illa quæ alii ab aliis & hi ab illis, hausit-
 se dignoscuntur. Quid purius ergo,
 quid certius, quid solidius illis laudibus
 quæ ex tam puro & certo fonte, ex tam
 pretiosâ venâ sunt depromptæ.

Sed mirantur multi nec sine aliquâ
 causâ apparenti quod cum tanta sint
 D. Josephi ut & lectissimæ ac sacratissi-
 mæ ejus Sponsæ ac Conjugis Mariæ
 Deiparæ

Synopsis

Magnalibus
 D.
 Josephi
 RV
 etc.

8 Synopsis Magnalium D. Josephi.

Deiparæ decora, qualia nullorum aliorum Sanctorum, tam pauca tamen de utroque; illo & ipsâ divinum dixerit Evangelium. Verum vetus est ex Senecâ Philosopho Parœmia. *Magni artificis esse totum clausse in exiguo.* Et teste Plinio in præmio lib. 37. Natural. Histor. *Isætiâ naturæ majestas in arctum coacta rerum, nulla sui parte mirabilior.*

XI. *Deus ipse, inquit Augustissimus Augustinus epist. 3. quæ est ad Volusianum, non mole magnus est, sed virtute: qui providentiâ suâ meliorem sensum magis formiculis dedit & apiculis, quàm asinis & camelis: què grano minutissimo ficulneæ arboris magnitudinem creat, cum ex multo majoribus seminibus longè minora multa nascantur. Qui pupillam tam parvam ditavit acie, quâ per oculos emicante, in ictu temporis cælum propè dimidium lustraret: qui ex puncto & quasi centro cerebri sensus omnes quinarîâ distributione diffudit: Qui corde membro tam exiguo vitalem motum per corporis cuncta dispensat, his atque hujusmodi rebus insinuans magna de minimis, qui non est parvus in parvis.*

XII. Mirari itaque desinet quod tam pauca de D. Josepho divinum dicat Evangelium, qui pauca illa penitiùs inspexerit, profundiusque perscrutabitur; quia in illis paucis maxima inveniet comprehendat eximia, profususque talia, quæ nec multis explicari possint: homo enim ut laudet multis eget verbis, Deus verbo absolvit.

XIII. Sanctorum revolve scripta Evangelistarum quid de D. Josepho in illis reperies? Quod fuerit Vir Mariæ de quâ natus est Jesus qui vocatur Christus, Matth. c. 1. v. 16. Quod cum Mariâ illi desponsata inventa esset habens in utero, antequam convenirent, & ipse esset Justus, noluerit eam traducere, sed cogitaverit occultè dimittere eam. Matth. c. 1. v. 18. & 19. Quod hæc eo cogitante apparuit ei Angelus in somnis dicens Joseph Fili David noli timere accipere Mariam Conjugem tuam, &c. simulque ei idem Angelus demandavit ut Filium quem ejus Uxor paritura erat vocaret JESUM, quia ipse salvum facturus erat populum suum à peccatis eorum. Ibidem v. 20. & 21. Quod exurgens à somno fecerit sicut præceperat ei Angelus. Ibidem v. 24. Quod ascenderit

in Bethleem ut ibi profiteretur cum Mariâ sibi desponsatâ uxore pregnante. Luc. cap. 2. v. 4. & 5. Quod induxerit puerum Jesum in templum impletis purificationis diebus ut faceret secundum consuetudinem legis pro eo, obtuleritque non agnum, sed par turturum aut duos pullas columbarum. Luc. cap. 2. vers. 22. 23. 24. Quod mirabatur cum Mariâ de his quæ dicebantur de puero. Luc. c. 2. v. 33. Quod illi & Mariæ benedixerit Simeon Senex, ibidem. Quod monitus ab Angelo in somnis, ut acciperet Puerum & Matrem ejus & fugeret in Ægyptum, quia futurum erat, ut Herodes quæreret Puerum ad perdendum eum, & postea defuncto Herode ut indè rediret in terram Israël, utraque vice consurgens fecerit sicut præceperat ei Angelus, Matth. cap. 2. v. 13. 14. 19. 20. & 21. Quod audito quod Archilaus regnaret in Judæâ pro Herode patre timuerit eò ire: Quodque monitus in somnis secesserit in partes Galileæ, ibid. vers. 22. Quod ibat per singulos annos cum Mariâ uxore suâ in Jerusalem in die solemni Paschæ. Et cum factus esset Jesus annorum duodecim ascendentibus illis Jerusalem secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cum redirent, ibi remanserit Puer Jesus, perditumque cum dolore requisierit & invenerit sedentem in medio Doctorum interrogantem eos, Luc. cap. 2. vers. 41. 42. 43. & 46. Quod descendens cum eo Christus in Nazareth, erat subditus illi, ibidem vers. 51. Præter hæc vix quidquam aliud de eo habent nostri Evangelistæ.

XIV. Quàm pauca ista? quàm modica in specie? sed in illis paucis quanta, quàm magna magnarum gratiarum, virtutum & prærogativarum ejus deprehendimus vestigia? Certè talia qualia de Sanctis aliis nec in magnis reperiantur voluminibus & factis. Et hoc evidenter patet in tot & tantis quæ ex illis SS. Patres, Interpretes, Doctores congesserunt, Concionatores etiam ex Ambone ad ejus gloriam & commendationem protulerunt, patebitque ex illis quæ per totum hoc Opus dicturi sumus: quibus tamè longè plura non dubito ab aliis nobis fortioribus adjicienda, cum immensa sint illa quæ sub horum cortice reconduntur.

Quod

XV. Quod ergò de Claudiani stylo gravissimus dixit Sidonius Apollinaris lib. 4. epist. 3. Potiori ego jure de nostrorum dictione Evangelistarum, & maximè in proposito nostro usurpare possum. *Tota illa dictione succincta quod profluens: rebus ampla, stricta sententiis; quæ plus docet quàm dicit, quæ paucis verbis multa cohibet: cui curæ fuit causam potius implere quàm paginam.*

XVI. Quare si mirata sunt tempora nostrâ (antiqua tæco) Helvetum illum qui Lugduni Ludovico XIII. Galliarum & Navarra Regi Christianissimo Rhedam obtulit quatuor equis accuratissimè instructam tantâ exilitate, ut totum opus unius unguis non excederet magnitudinem. Si Capocium Senensem Pictorem qui totam Christi patientis historiam, res, actus, personas in suis unguibus est distinctissimè emensus, apud Majol. Canic. Memorial. collat. 23. Si Franciscum Alumnum Scriptorem qui Symbolum Apostolorum & Divi Joannis Evangelium in unius orbiculo denarioli elegantissimè descripsit; quanto magis mirari debemus Sacros Evangelistas qui tam multa D. Josephi decora verbis & lineis cõplexi sunt tam paucis.

XVII. Cùm itaque tot & tanta Sacri Interpretes, Theologi præstantissimi, Encomiastes Primarii, & Patres Sancti, de D. Josephi magnalibus, & tam magnificè protulerint. Apiculas imitabor quæ ex optimis quibusque floribus succum meliorem colligunt, ex quibus opera sua conficiunt, quæ in alvearibus disponunt in ordinem: ita ego ex iis quæ ab istis prolata fuerunt, potiora seligam in hoc Opus, suis quoque locis reponenda.

XVIII. Sed cùm hæc quæ à dictis Scriptori- bus prolata fuerunt omnia ex Scripturâ, maximè verò ex sacro Evangelio inveniantur eruta: sitque idem ipsum Evangelium licet verbis tam arctum, sensu tamen tam fecundum, ut plurâ semper & plurâ ex eo depromi possint, & de facto in dies depromantur ad ejus laudem: Efflores etiam imitabor & Aurifabros, primos quidem qui in fodinas ipsas descendunt, indeque metalla educunt, in quibus postea Aurifabri laborant & ex illis statuas suas conficiunt: ita ego quoque conabor ex ipsis sa-

cræ Scripturæ fodinis, maximè verò ex Evangelii, nonnulla ipse effodere, quæ in Opus meum proferam cum illis quæ ab aliis effossa, eaque elaborabo pro posse meo, nec verebor exiguitatem meam, hæc cogitatione animatus, quod scilicet hujus Beatissimi Viri merita sint auro vel adamantibus, lapidibusque pretiosis similia, quæ cùm seipsis satis splendeant, manu rudioris & impoliti artificis pertractata & in opus adducta, non amittunt suum splendorem, pretium aut justum valorem. Cedat utinam hic meus conatus ex voto meo ad gloriam Dei omnipotentis qui in Sanctis suis gloriosus est majorem, & hujus Beatissimi Patris Jesu cultum ampliorem.

PROLUDIUM IV.

Fons Magnalium omnium Divi Josephi, Prædestinatio ejus.



Fonte laudum & encomiorum D. Josephi Patriarchæ gloriosissimi, qui est ipsum Dei verbum, ut vidimus Ca-

p te præcedenti, recto ordine ac immediatè progredimur ad fontem magnorum ejus magnalium, quem nullus dubitat fuisse æternam ejus ac singularissimam Prædestinationem, de quâ hic.

Nomen porro Prædestinationis communiter acceptum, significat actum illum divinæ voluntatis, quo Deus absolute & efficaciter statuit homini æternam conferre beatitudinem, sive illa voluntas sit ante, sive post prævisa illius merita: quâ de re Theologi Antiqui in lib. 1. Sentent. & Recentiores in 1. part. D. Thomæ, in quibus vide ex nostris Gregorium Sebenicum in novâ Concord. Prædestinat. cum libertate.

Sed licet hæc Deus habuerit voluntatem circa D. Josephum, hæc tamen voluntas non est propriè Prædestinatio ipsius: nam cùm hæc in D. Josepho singularissima fuerit, & accedat ad prædestinationem Mariæ legitimæ Conjugis suæ, & Christi Filii sui dilectissimi, habet procul dubio aliquid aliud rarius & præstantius, propeque

B

accedens

Synopsis

Magnalium
D.
Josephi
RV
etc